





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
QVA  
OBSERVATIONES RARISSIMÆ  
**CALCVLORVM**  
IN CORPORE HVMANO GENERATIONEM  
ILLVSTRANTES

PRÆSIDE

**D. ABRAHAMO VATERO**

PROF. PVBL. ANAT. ET BOTAN. SVBSTIT.  
VT ET SOCIET. IMPER. NAT. CVRIOS.  
ET REG. BRITANN. SOCIO

**PRO GRADV DOCTORIS**

MORE MAIORVM OBTINENDO  
**IN ALMA LEVCOREA**

D. XIX. IVL. M DCC XXVI.

H. L. Q. C.

PLACIDAE DISSIDENTIVM DISQVISITIONI  
EXPONVNTVR

a  
**CHRISTOPH. ANTONIO ZIEGENHORNIO**

MITAV. CVRONO.





DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
 QVA  
 OBSERVATIONES RARISSIMÆ  
**CALCVLORVM**  
 IN CORPORE HVMANO GENERATIONEM  
 ILLVSTRANTES

PRÆSIDE  
**D. ABRAHAMO VATERO**  
 PROF. PVBL. ANAT. ET BOTAN. SVBSTIT.  
 VI ET SOCIET. IMPER. NAT. CVRIOS.  
 ET REG. BRITANN. SOCIO

PRO GRADV DOCTORIS  
 MORE MAIORVM OBTINENDO  
 IN ALMA LEVCOREA  
 D. XIX. IVL. M DCC XXVI.

H. L. Q. C.  
 PLACIDAE DISSIDENTIVM DISQVIVISIONI  
 EXPONVNTVR

a  
**CHRISTOPH. ANTONIO ZIEGENHORNIO**  
 MITAV. CVRONO.



Apud VIDVAM GERDESIAM.






10

OTTEVALE RALISSI  
CALOVRVM  
D. ALPHAMO V. TERO









V I R O  
ILLVSTRI ATQVE GENEROSISSIMO  
D O M I N O  
I O A N N I H E N R I C O  
D E H E V C H E R  
P O T E N T I S S I M I  
P O L O N I A R V M R E G I S  
S E R E N I S S I M I S A X O N I A E  
P R I N C I P I S E L E C T O R I S  
C O N S I L I A R I O A V L I C O A T Q V E A R C H I A T R O  
G R A V I S S I M O  
A N A T O M E S <sup>ET</sup> B O T A N I C E S P R O F E S S O R I  
I N A C A D E M I A V I T E M B E R G E N S I P V B L I C O  
C E L E B E R R I M O

D O M I N O P A T R O N O  
A T Q V E S T V D I O R V M M E O R V M  
P R O M O T O R I

*O M N I, Q V A D E C E T, A N I M I D E M I S S I O N E  
A E T E R N V M C O L E N D O*





IN VITRO  
MILITIA A TOME GRADISSIMO  
DOMINO  
IOANNI HENRICO  
DE HEVCHER  
POTENTISSIMI  
POLONIA RVM REGIS  
SARAVISSIMI SAXONIAE  
HUNGARIE ELECTORIS  
GENERALIS AVICO ATOVE ARCHIAIRO  
GRAVISSIMO  
STATOLES POTANTICES PROTECTOR  
IN AEMMA VITAMONIS PAVLO  
CLERICO  
DOMINO PAVLO  
ATONE STATOIRVM MBO  
PRIMO TOI  
O  
K  
K





ILLVSTRIS  
ATQVE  
GENEROSISSIME  
DOMINE

**H**umanitas haud vulgaris TVA, at-  
que singularis animi propensio, qua  
me TIBI ignotum excipere voluisti, totum  
me TIBI devinxit, eaque sperare me iubet,  
fore, ut, quam Splendidissimo Nomini  
TVO inscribere audeo, dissertationem in-  
auguralem benevolo vultu excipias. Me-  
ritis quidem TVIS amplissimis ea respon-  
dere



dere minime potest, interim tamen promptum animi grati conatum, TE in optimam partem accepturum, confido. Supremus Arbiter, Deus, TE, cum inclyta Familia TVA, in omne tempus florentissimum seruet, ac saluum sospitemque praestet, ut mihi impostero de ualidissimo Patrocinio TVO gratulari queam. Vale et Faue

ILLVSTRIS TVI NOMINIS

*DABAM VITEMBERGAE  
d. IVLII MDCCXXVI.*

CVLTORI INDEFESSO  
CHRISTOPH. ANTON. ZIEGENHORNIO.



*Fig. I.*




*Fig. II.*



*Fig. III. et Fig. IV.*









# EXPLICATIO FIGVRARVM,

## Fig. I.

Calculos tres numeris 1. 2. 3. notatos, in inuolucro suo  
e filo pendentibus, exhibet. ad Obseruat. I.

## Fig. II.

Calculus, ex Castoreo recenti exsectum, denotat. ad  
Obf. IV.

## Fig. III.

Calculus biliarium, per aluum exclusum, posteriorem,  
et

## Fig. IV.

Calculus biliarium, per aluum exclusum, priorem exhibet.  
ad Obf. III.





EXPLICATIO FIGURARUM

Fig. I

Diagramma, quod in hunc modum est constructum, ut in hunc modum sit

Fig. II

Diagramma, quod in hunc modum est constructum, ut in hunc modum sit

Fig. III

Fig. IV

Diagramma, quod in hunc modum est constructum, ut in hunc modum sit







Q. D. B. V.

**I**nter tormenta generis humani, quibus Homines acerrime excruciacur, ac saepissime in mortem praematuram praecipitari solent, non infimum, sed omnium consensu fere primum locum tenent dolores, a calculis in corpore generatis excitati. Hi ubi in viis urinariis concresecunt, ac per eadem exitum affectant, doloribus acerbissimis sui praesentiam sufficienter produnt. At in vesica biliaria aliisque corporis angulis subsistentes, signa admodum obscura praebent.

A 2

Imo



Imo quandoque illi in uiiis etiam urinariis haerent, ac uix sui suspensionem praebent, nihilo tamen secius inopinato homines jugulant, aut alia mala inducunt. Operae ergo pretium nos facturos existimamus, si Tibi, Lector Beneuole, in praesenti obseruationes paucas, sed rarissimas perinde ac curiosissimas, calculorum tum urinariorum, tum biliariorum in corpore latentium, speciminis inauguralis loco, exponeremus. His accedit obseruatio singularis calculi, e castoreo recenti exsecti, non minus rara, ad illustrandam generationem calculorum in hominibus apprime faciens. Faxit Deus, ut hoc cedat in sui honorem, Proximique afflictæ emolumentum!

OBSER-



## OBSERVATIO I.

**T**res calculi, membranae peculiari inclusi, ac eius ope uesicae urinariae intus adhaerentes, reperti.

**I**uuenis Studiosus per duos circiter annos dysuria, saepius recurrente, uexatus, intra hoc spatium ultra L. calculos mingendo exclusit. Horum alii pisorum majorum vel minorum magnitudinem habentes, rotundi ac polii sine incommodo inter mingendum prodierunt, alii plus minus angulosi, per aliquot dies in urethra subsistentes, ita quidem, ut urina guttatim effluere posset, prout duriores vel friabiliores, manu chirurgi attriti frustulatim, vel sectione integri exempti fuerunt. Hic tandem brevi ante mortem tempore, anxietate ac spirandi difficultate cum tussi, obstructione alui, sensim crescentibus afflictus, accedente insuper marasmo totius corporis atque tumore pedum oedematoso, pridie ante obitum lecto affixus, profuente copiosius sudore colliquativo, uitam cum morte commutauit. Accedentes ad sectionem corporis defuncti, primum thoracem aperuimus, ubi pulmonem in quibusdam locis scirrhosum ac cum pleura & diaphragmate hinc inde concretum, in corde uero truncos ua-



forum circulantium, polypis occupatos inuenimus. Aperto postea abdomine, nullum in hepate ac liene uitium apparuit, intestinum autem leon ualde sugillatum, & Colon, excepto solum ejus principio, ac portione trium digitorum transuersorum latitudine, in sinistro hypochondrio e regione lienis, de cetero in toto suo ambitu una cum Recto, ita contractum deprehensum fuit, ut digiti crassitiem uix aequaret, ac intus nulla fere cavitatis conspici, in eamque minimi digiti apex non nisi ui adhibita intrudi posset, uasis sanguiferis sanguine crasso turgentibus. Tandem uescam urinariam, utpote tot calculorum excretorum officinam perlustrantes, in hac tres calculos tophaceos, nucis fere auellanae magnitudine, ope sacci membranacei eodem inuoluentis, antea supra pubem lateri interno annexos, inuenimus, renes uero & ureteres uacui & a calculis immunes fuerunt.

## §. I.

**P**raesentem Casum inter rarissimos & consideratione dignissimos referendum esse, nemo inficias ibit, qui singularia in eo occurrentia paulo accuratius pensitat. Concretio quidem Pulmonis cum Pleura et diaphragmate, ac Polypi uasorum Cordis frequentius obseruantur, & a nostro instituto quoque absunt, qui de calculis in hac disquisitione agere constituimus. Inde tamen respiratio-



rationem difficilem, tuffem, & a Polypis figillatim suffocationem mortemque citam in nostro dependisse, palam est. Sed contractio enormis intestini Coli propius ad nostrum negotium pertinet, quam certe non in agone, aut una & semel factam, sed successu temporis, ob perpetuam generis neruosi, a calculis in uesica urinaria generatis, irritationem inductam fuisse, circumstantiae omnes confirmant. Maxime tres isti, beneficio inuolucris sui membranosi cum uesica concreti, hic accusari debent, utpote qui tunicam eius internam neruosam continuo prementes, spasmos partium circumiacentium non potuerunt non inducere. De istis igitur in praesenti exponere animus est.

## §. II.

**C**alculos ex scoriis tartareis, ob analogiam cum tartaro vini, ita dictis, id est partibus salino-terreis atque uiscosis, quibus alimenta plus minus abundant, in variis corporis locis concretis generari, inter omnes constat: Quatenam vero sit praecipua hujus coagulationis causa, inter Auctores Medicos nullatenus conuenit, dum alii Spiritum quendam Gorgonicum, seu lapidificum, alii acidum peregrinum, coagulationibus firmioribus fauens, alii calorem immodicum exsiccantem, uel frigus coagulans, alii fermentationem aut putredinem accufarunt. Nobis quidem praua alimentorum in primis



primis uis digestio, ac uitiosa uiscerum secretio-  
rum & depuratoriorum secretio, ex innumeris cau-  
sis inducta, in culpa esse uidetur, ob quam cruditates  
tartareae, quae in canali alimentorum a succo nu-  
tritio separari, aut, si cum eo ad sanguinem pene-  
trant, in colatoriis excretoriisque organis, e san-  
guine secerni & e corpore eliminari debebant, in  
eodem retinentur & coaceruantur, hinc inde sta-  
gnant, obstructions generant, atque in locis ad id  
aptis concrefcunt. Inde est, quod hypochondria-  
ci atque scorbutici huic malo maxime obnoxii sint,  
imprimis, ubi dispositio humorum uitiosa haeredi-  
tate contracta adest, & abusus ciborum uiscido-  
rum, flatulentorum, acidorum & acescentium, fa-  
litorum atque fumo induratorum, potusque crassi,  
foeculenti, atque tartarei accedit. Praeprimis autem  
concretionibus istis fauent uiae urinariae, utpote  
quae transcolationi feri falsi, muriatici excrementitii  
destinatae sunt, ac propterea calculis frequentius  
obnoxiae obseruantur. Fit tamen omnino, ut  
causis hactenus enumeratis praesentibus, tales ho-  
mines a Calculo ad tempus immunes sint, quam-  
diu natura robusta est, digestiones in uigore sunt,  
& excretiones per emunctoria succedunt. Obser-  
uamus proinde, Arthriticos & calculosos, quamdiu  
urinam crassam et turbulentam meiunt, et arenu-  
lae secedunt, a Paroxyfmo liberos existere, e con-  
tra uero urinas praeter morem tenues eundem prae-  
nun-



nunciare. Quamuis uero ad hoc malum disposita magis sit aetas senilis atque uirilis, non raro tamen contingit, ut etiam infantes atque iuuenes, ut in nostro casu, eodem affligantur.

### §. III.

In nostro itaque Casu notari imprimis meretur Antecedens copiosus prouentus calculorum, de quo subsequenti obseruatione solliciti erimus, ac inuolucrum, calculos tres in uesica residuos, post mortem inuentos, ambiens, eosque cum latere interno uesicae connectens. Calculos quandoque, utut rarius, sacco quodam, membranam mentiente circumdari, testantur Exempla ab Auctoribus obseruata. Ita calculos XXXII. in uesica viri, post Lithotomiam frustra peractam mortui, omnes in propriis tunicis inclusi, et inuicem ita contigui, ut haud aliter, quam apes in suis cauer-nulis fauum, sic isti calculi in suis quique alueolis, totam uesicae cauitatem replerent, inuenti fuerunt, quod Exemplum refert ex *Holzappelii Obseru. Bonet. Anat. Pract. LIII. Sect. XXIII. Obs. IV. §. 2. Idem loc. cit. §. 4. ex Donat. Hist. mirab. L. IV. Cap. 30.* recenset, in cadauere Viri post mortem, lapidem insignis magnitudinis, in uesica inuentum esse, undique humore multo et crasso circumuestitum, instar anguillae pellis inuolucro circumambiente. Quilibet autem facile perspicit, haec inte-

B

gu-



gumenta calculorum nullatenus ueras membranas fuisse, sed potius mucum uiscidum, glutinosum calculos ambientem, successiue inspissatum, tales repraesentasse. Ita iudicat *Bonetus loc. cit. in notis ad §. 4. Calculorum maxima pars, inquit, eiusmodi cutaneo inuolucro caret, nec nisi rarissime obseruatur; Accidit uero, ut in uesica tenax ea materia non semper in durum corticem, sed in membraneam solum substantiam conuertatur, ab imbecilliore remissioneque calore impediante, quo minus lapidescat.*

#### §. IV.

**A**t alia longe res est cum nostro inuolucro, quod uera est membrana fibrosa, cum interna uesicae tunica neruea continua, cum eadem firmiter concreta, ac eiusdem cum illa substantiae. Eius propterea origo certe a nulla alia re, quam ab ipsa interna tunica neruea uesicae urinariae, a calculis, in transitu ad uesicam per ureteres, prorumpentibus distenta, deriuari potest. Notum quippe est ex fundamentis Anatomicis, ureteres non recta uia orificia sua in uesicam inferere, sed oblique inter tunicas eius ad digiti transuersi latitudinem incedendo, tandem in anteriori uesicae parte in regione Pubis, intra cavitatem osculis suis hiare. Ita enim Diuina Creatoris Prouidentia disposuit, ne urina intra ureteres regurgitare, ac secretionem ulteriorem in Renibus turbare possit.

Quid



Quid ita mirum, calculos, per angustissimos ureterum meatus a renibus ad uesicam descendentes, ubi transitum intra uesicae cauitatem per oscula exilissima non inueniunt, iuuante imprimis urinae subsequenti pressione, intra tunicam nerueam pererrare, eamque ad interiora trudendo, sibi sacculum talem efformare. Confirmat id *Petri Blandini*, Medici Geneuensis obseruatio a *Boneto loc. cit.* §. allata, ubi uesica urinaria in cadauere Ciuis, in duas quasi bursas distincta uisa est, in utraque uero *Cysti* sex calculi reperti sunt nucis gallæ magnitudinem aequantes. Addit propterea *Idem in nota ad hunc casum: ureteres non in uesicae cauitatem hiant, sed inter utramque membranam inseruntur, ideoque cum lapidum illorum, a renibus detrusorum, in cauitatem uesicae portio peruenerit, altera inter dictas membranas substiterit, accidit ut hi nouo materiae appulsu, grandiores et grauiores facti, pondere sinum & foueam effecerint, sacci formam, aut alterius uesicae figuram referentem.* Idem etiam sentit *Villis d. urin. Cap. 5.*

## §. V.

**E**x haftenus allatis Exemplis, nostroque sigillatim casu, quantum ad calculos, membrana inuolutos ac uesicae intus concretos, attinet, oppido patet, signa calculi uesicae quandoque fallere, iisque licet absentibus, calculum tamen adesse posse.



Calculi tales membranis inuoluti, & uesicae intus adhaerentes, ubi orificium eius non attingunt, nullam Ischuriam seu suppressionem urinae efficiunt, neque etiam tales mediante exploratione ope catheteris cognosci possunt. Imo, utut de Calculi uesicae concreti, praesentia certi effemus, non immerito dubitatur, an talis sectione tolli posset? Ita *Tulpius Obs. Med. LIII. Obseru. V. differit. Summe nocet uesicae urinariae Calculus ipsi adnatus, quem siue tollas, siue relinquant, perinde occidis aegrum: Talis periculosae accretionis exemplum licuit uidere in Cadauere, cuius uesica continuit calculum membrana inuolutum, & fibris tam stricte uesicae tunicis alligatum, ut uix inde auelleretur sine manifesta dilaceratione. Misero cuidam lithotomus adempturus calculum, extraxit simul & ipsam uesicam, utpote calculo tot & tam tenacibus uinculis accretam, ut nequiuert ulla arte separari.* Sufficit hoc de membrana calculos investiente, progredimur nunc ad obseruationem secundam, quae excretionem copiosam calculorum in nostro aegro adhuc vivente, factam, maximopere illustrabit.

OBSER-



## OBSERVATIO II.

**I**mber calculorum inter aquarum Pyrmontanarum usum contingens, subsequente mictu cruento, tandemque ulcere vesicae.

**N**obilis Pomeranus, sanus ac uegetus, uti ipse de se refert, nulliusque mali sibi conscius, ante hos tres annos, suasu amici, conuersationis causa, socium se ipsi adiunxit, in bibendis aquis medicatis Pyrmontanis. Factum autem est, ut, cum potando aliquot dies transsegisset, calculus quosdam minores, absque ullo quidem dolore, excludi inter mingendum sentiret. Effectum hunc criticum esse, sibi persuadens noster, aquas istas aucta dosi bibere incipit, quo facto, quatuor uel quinque dierum spatio, ultra quadraginta calculi, rursus tamen sine molestia exierunt. Hoc uiso, strenue & alacriter potare continuat, optimum huius curae effectum sibi promittens. Assumpta uero ita nimia aquae quantitate, urina supprimitur, adeo, ut ne minimam eius portionem per tres dies emittere potuerit, usque dum catheteris ope uia aperiretur. Commonefactus itaque a Medicis, ab usu aquarum ulteriori abstinuit, rem ita peractam esse credens. Non ita multo post, uir iste iter faciens, continuo mingendi conatu laesitur, ac iterum iterumque ex rheda descendere



scendere cogitur, tandemque inter grauisimos dolores sanguinem purum effundit. Durauit mictus cruentus & dolorosus, quamdiu aeger in itinere constitutus fuit, postquam uero hic, domum reuersus, quieti studuit, statim cessauit, nec quicquam doloris remansit. Quoties uero ab illo tempore siue rheda, siue equo ueheretur noster, rediit dolor, & sanguis cum urina secescit, sed quiete restituta, iterum euauit, nullo plane dolore superstito. Contigit quidem interdum, ut calculus unus uel alter prodiret, rarius tamen hoc factum est, nec ullum ex eo dolorem percepit aeger, quoniam hi longe minores, quam quos inter aquarum usum reddidit, fuerunt. Symptomate hoc admodum molesto per duos integros annos uexatus aeger, tandem usu medicamentorum liberatus est. Cessante itaque penitus mictu cruento, nil magis timuit, sed integrae sanitati restitutus sibi uisus, medicamentis ualedixit. At, quid sit? Augetur post illud tempus indies Stranguria, uirque continuo die nocteque ad urinam reddendam stimulatur, quo malo ipse ad hunc usque diem affligitur. Urina, quae parcissima quantitate summoque cum dolore emittitur, crassa exit, ob pituitam uiscidam admistam, quae fundum statim petit, glutini ex farina confecto similis, tantae tenacitatis, ut in fila quasi trahi queat. Aeger interea appetitu bono gaudet, & somno quoque sufficienti utitur, nec ullibi praeterea in corpore dolorem sentit.



## §. I.

**P**raesentem obseruationem conceptis verbis ad Illustrissimam & Regiam Magnae Britanniae Societatem *d. VI. Ian. MDCCXXIII.* dedimus, quae etiam ob dignitatem suam in *Transact Philosoph. mens. Mai. et Iun. eiusdem anni n. 377.* Typis expressa est. At cum liber iste in paucissimorum manibus sit, iuuabit illam hic repetere, ac conditiones ejusdem speciales in praesenti considerare. Notatu dignissimum sane in hoc casu est, tam breui temporis spatio, tantam calculorum copiam euacuata esse, ubi tamen ante usum aquarum medicatarum, ne ulla quidem suspicio adfuit. Possent hoc omnino nobis persuadere, non tam calculos hos, antea in corpore latentes, beneficio aquarum istarum expulsos, quam occasione ab ipsis data, de nouo generatos fuisse. Suadere hoc videtur similitudo calculorum istorum, ratione coloris, cum ochra, quam aquae istae secum uehunt, quam coctione ex ipsis eduximus, ac cum calculis comparauimus. Fracti etiam calculi, strata eiusmodi variegata, lamellatim sibi inuicem incumbentia, monstrarunt, qualia Tophi, in Thermis Carolinis per Canales fluentibus, concreti exhibent. At enim uero contrarium ex omnium circumstantiarum collatione elucescet.

## §. II.



## §. II.

Ante omnia attendendum est, solam similitudinem calculorum istorum, ratione coloris atque stratorum cum ochra et Tophis aquarum medicatarum, generationem ex aquis Pyrmontanis factam nullatenus probare. Possidemus calculos, colore et consistencia conuenientes, ab aegris, nunquam aquis medicatis usis, exclusos. Licet etiam calculi, ante usum aquarum, in praedicto uiro nulla sui signa praebuerint, nihil tamen obstat, ut statuamus, eosdem in uesica latuisse, ac demum operatione aquarum medicatarum e latibulo suo exturbatos fuisse. Confirmant hoc Exempla ab Auctoribus annotata, ubi calculi in mortuorum corporibus dissectis reperti fuerunt, in quibus, quoad uiuerent, nulla eorum suspicio adfuit. Tale est quod *Mangett. Biblioth. Med. Pract. L. III. Tit. Calcul. p. 365 ex Blancard., Obs. Anatom. Pract. ration. Cent. I. 94.* recenset, quod nimirum in uesica sexagenarii defuncti, calculus pyriformis XIV. unciarum, durus ac in medio peruius inuentus sit, per quod foramen urina exitum habuit. Hic tamen nunquam per totum vitae ductum de calculo, dolore, grauitate, aut suppressione urinae conquestus est. Huiusmodi obseruationes plures, calculorum plurimorum in renibus, citra signa calculi, gestatorum, videre est apud *Bonet. l. c. Sect. XXII.*



XXII. *obs.* XXIV. Iudicandum ergo potius erit, aquas Pyrmontanas, ob uirtutem, qua pollent, laxatiuam et diureticam, calculorum iam praesentium euacuationem effecisse. Idque penitus confirmat casus singularis, a *Pechlino in Obs. Med. Phys. L. 1. 16.* adductus, ubi notat, a Pyrmontanis Viro, ex Hypochondriis aegrotanti, etiam calculos, nunquam ante creditos, ab aluo magna copia propulsatos esse, tot olim purgantibus, quod diluuiio isto carerent, frustra propinatis. Idem etiam *obs.* 7. extra usum aquarum medicatarum in puero, dolore quidem uesicae ponderoso, sed sine calculi suspitione, laborante, post esum largum pisorum, calculorum pisiformium, pisa crena hiloque accurate referentium, per ulcus, in Perinaeo frictione ruptum, euacuatorum copiosum prouentum, ac *obs.* 8. imbre calculorum urinosum, in sene, calculo alias obnoxio, in itinere prorumpentem, recensuit. Notabilis quoque casus, a *Clariss. D. Kundmann* obseruatus recenseretur in *Act. Breslau. A. 1722. August. Class. IV. Art. 18.* ubi in uiro 75, annorum XVIII. calculi duarum horarum spatio, sine ullo dolore exclusi sunt, insequente tamen altero die morte ipsius. Horum maximi nucem auellanam, minimi pisa magnitudine aequabant, unde non immerito *ipse* uidetur mirum, quo pacto calculi tantae magnitudinis, sine dolore, per urethram angustissimam penetrare potuerint.



## §. III.

Vt autem generatio calculorum in praedicto viro nequaquam aquis Pyrmontanis adscribenda sit, exturbatio tamen violenta eorum e sede sua, in qua forte diutius sine incommodo latere potuissent, ac subsequutus mictus cruentus, ulcus vesicae post se relinquens, virtuti eorundem diureticae fortiori non potest non adiudicari. Docet interim hoc exemplum, usum aquarum talium medicatarum non promiscue omnibus servandum, eumque, vel minima calculi suspicione praesente, potius interdicens esse. Ita *Pechlinus loc. cit.* se quidem aquis Thermalibus calculos nonnullos propulsos vidisse, intempestiva tamen aquarum Embsensium potatione quosdam, qui nullis unquam doloribus renum calculive vexati fuerunt, gravissime et decretorie ex nephritide laborasse, expertum se esse, annotat. Quamvis etiam *Mangett. loc. cit. p. 310.* dicat, nullum magis efficax remedium esse, sive ad praecavendum minorum calculorum incrementum, sive ad eosdem e renibus deturbandos, quam aquarum chalybeatarum potationem liberiores, per singulas aestates iugiter repetendam, addit tamen, istis aegrum tuto se committere non posse, nisi prius certo sciat, calculum maiorem non esse, quam ut per ureteres viam possit sive invenire, sive facere. De hoc tamen certos nos esse vix posse, exempla haec tenus allata docent. Sequitur

OB-



## OBSERVATIO III.

**D**uo calculi biliarii insignes  
per aluum excreti.

**F**oemina L. circiter Annorum, habitu corporis crasso et oboeso praedita, ad sensum tamen sana, nullo minimum morbo manifesto brevi ante afflicta, superiori anno subito corripiebatur dysuria atque Stranguria, cum horroribus ac calore febrili, alternative se excipientibus, quibus etiam iungebantur dolores capitis et artuum, phantasiae, anorexia, ac id genus alia Symptomata. Hoc rerum statu, aegra a Medico auxilium petiit, ac remediis ab ipso acceptis usa est, sed absque leuamine, quantum quidem ipsa percipere potuit, continuarunt potius Symptomata ista ad XIV. dies, ubi deinde uehementissima uentris tormina, cum uomitibus coniuncta accesserunt, quae primum regionem umbilici occuparunt, tandemque in regione lumborum subsiterunt. Oborta itaque calculi suspitione, nostra Rcob luniperi atque Baccas tostas loco Theae assumpsit, interpositis simul pilulis laxatiuis. His tandem factum est, ut, superueniente diarrhoea, primum lapis maior fig. IV. ac post XIV. circiter dies, recurrente dolore ac torminibus, calculus mi-



nor fig. III. expressus, per alium succederet, hac saltem cum differentia, quod ante primi euacuationem, dolor magis in sinistro, ante secundi uero excussionem, magis in dextro lumborum latere urgeret. Nunquam illa antebac calculo laborauit, aut ullum eius indicium percepit, post illud tempus etiam satis bene ualuit, nisi quod nunc accedat tumor oedematosus pedum, Cachexiae index et Hydropis Prodromus. Calculi isti coloris fusci, intus flauii, striis et circulis croceis distincti sunt, ac si superficiebus, uersus se spectantibus, coniunguntur, ita se inuicem mutuo excipiunt, ut manifesto uideri possit, eos in corpore coniunctos fuisse, aut saltem sibi accubuisse, figuramque Pyriformem, figurae uesicae felleae fere similem exhibent. Sunt enim illi uere calculi biliarii, ac aquae iniecti eidem innatant.

## §. I.

**C**alculi non tantum in uis urinariis, renibus atque uesica generantur, sed in omnibus fere corporis partibus tales inuenti fuerunt, ne ipso quidem Corde ac Cerebro exclusis, uti testatur *Obseru. 35. Kerckring. Spicileg. Anat. de lapide in Cerebro adolescentis stupidi XIV. annorum, ac in Corde puellae XI. annorum, anxietate, dum in uiuis esset, affectae reperto, aliaeque ab Auctoribus consignatae obseruationes. Maxime*



me uero Cistis felleahuic concrecioni obnoxia et apta obseruatur, tum ratione liquoris contenti, tum quoque ratione situs atque usus. Succus equidem biliarius prae reliquis liquoribus, a sanguine secretis, crassus atque balsamicus, scoriis Salino-Sulphureis, a sanguificatione residuis, copiosissimis impraegnatus est. Hae e sanguine Venae Portae crassiori, a tubulis secretoriis Hepatis, nullum alium in finem secernuntur, quam ut ad intestinum Duodenum amandatae, ibique cum alimentis mistae, incidendo uiscosas eorum partes, prius in intestinis Chymi ulteriorem solutionem, Chylique ab excrementis separationem efficiant, hac uero peracta, postmodum, tanquam excrementitiae nulliusque amplius in corpore usus, cum faecibus, quibus tincturam praebent, per uiam ordinariam eliminantur. Pars istius liquoris, per ductum Hepaticum ad Duodenum effluentis, in uia per ductum Cisticum, cum Hepatico coniunctum, extra tempus Chylificationis, ad uesicam felleam amandatur, in qua, tanquam diuerticulo stagnat et asseruatur, donec uentriculo ab alimentis expanso, ad effluxum concitetur. Bilis propterea in folliculo contenta, ordinarie crassior, quamquae ab Hepate affluit, obseruatur, adeoque, ubi recrementis salino-tartareis nimium abundat, facius ad concrecionem tendit. Eique rei maxime fauet, situs Cistidis felleae decliuis, quo fundus ad inferiora locatur, collum uero



uerfus superiora tendit, et obliquo ductu tandem in ductum Hepaticum terminatur. Eam ob causam, non solum tenuior tantum atque maxime fluxilis pars, constrictione et compressione uesicae, effluit, sed etiam bilis nunquam totaliter effunditur, potius pars quaedam spissior semper ibi remanet. Propterea tamen in subiectis sanis nulla fit bilis coagulatio, quia illa nouo semper affluxu restauratur atque diluitur. In subiectis autem Hypochondriacis, Scorbuticis, Cachecticis, Melancholicis, Ictericis, obstructione uiscerum atque secretionem uitiosa laborantibus, tanto facilius calculi in uesica fellea generantur, de quibus innumerae obseruationes, ex Auctoribus collectae, uideri possunt apud *Bonet. Anat. Pract.*

## §. II.

Quemadmodum uero, morbis istis enumeratis, ipsoque ictero, praesentibus, non tamen semper adsunt calculi in uesica fellea, ita, quod magis est mirandum, quamuis calculi ibidem reperiantur, necessario tamen icterus nullatenus sequitur. Id docet obseruatio *Neretii* a *Boneto l. c. Sect. XVIII. Obs. 8. §. 6.* relata, qua *Ipsa* testatur, se in duabus foeminis XVIII. calculos, nucis Ponticae magnitudine reperiisse, quarum tamen neutram morbus arquatus infecerat. Neque etiam nostra aegra ictero unquam laborauit, nec dolorem, aut aliud incom-



modum ab ipsis antea percepit, qualia Exempla refert pariter *Bonet. loc. cit. Sect. XVII. Append.* At tamen magnitudo horum calculorum insignis sufficienter probat, eosdem certe non nudius tertius generatos esse, sed diutius in corpore latuisse, donec tandem, ex qua, nescio, causa e sede sua exturbati, exitum quaesiverunt inueneruntque. Sed forte quis obiiciet, calculos istos in nostra aegra in vesica fellea nullatenus haesisse, sed in alio loco generatos fuisse, cum probabile nullatenus esse uideatur, tantae magnitudinis lapides per angustissimum, tortuose situm, ac ualuulis spiralibus munitum, ductum cytticum uiam sibi parare posse. Non diffitemur sane, arduum esse negotium, certo et demonstratiue a priori id probare, cum a posteriori id fieri nequeat, quia mulier ista per Dei gratiam adhuc uiuit, ac dubium omnino est, an post eius mortem tandem in hanc rem inquirere liceat, quod equidem oprandum foret. Nihilo tamen secius argumenta sufficientia adsunt, quibus adducti affirmamus, calculos istos ex nullo alio loco, quam ex uesica fellea prouenisse, uti nunc demonstrabimus.

### §. III.

**A**nte omnia itaque probe notandum, calculos istos, uti e circumstantiis in Historia allatis constat, esse bilarios, in et ex bile generatos, aquae, quod teste *Fernel. Pathol. L. VI. c. 5.* proprium est calcu-



calculorum felleorum, innatantes, ac compositi, figuram uesticae pyriformem exprimentes. Neque enim credendum est, bilem e folliculo intra intestina effusam, ibidem in tantos calculos coire posse, quia in tenuibus, ob motum eorum peristalticum continuum ac digestionem alimentorum, id ipsum fieri nequit, ad crassa uero ea non nisi excrementis mista accedit. Nulla ergo aptior generationis officina istis assignari potest, uti ex antea dictis constat, modo non obstaret uiae, per quam ad intestina penetrare debebant, angustia. At enim uero, canales corporis angustissimos quandoque ultra fidem distendi posse, probat non modo orificii uteri interni arctissimi, pro foetu et placenta transmittenda, in partu ampliatio enormis, sed et ureterum, cavitatem exilissimam gaudentium, distensio praeternaturalis in calculosis. Sic celeberrimus *Ruyfchius* *Obs. Anat. Chir. XCIV.* annotauit prodigiosam talem ureteris, calculo auellanae magnitudinis obstructi, dilatationem, ut integram puris pintam caperet. *In Transact. Philos. Reg. Soc. Brit. A. 1723. n. 377.* *Obs. III.* relatum legimus, in uiro calculo obnoxio, post mortem secto, in uestica urinaria sex calculos ouales, insignis magnitudinis, ureteres uero ita dilatatos, ut maximus eorum facilimo negotio, sine ui adhibita, a renum pelui uersus uesticam protrudi posset, inuentos fuisse. Ut taceam nunc, structuram atque conformationem, amplitudinemque cana-  
lium



lium Corporis, in diuersis subiectis admodum uariare, adeoque specialem uesicae felleae atque colli eiusdem fabricam et dispositionem, in nostra forsitan adesse posse, ob quam calculi isti facilius, accipi potest, per hanc uiam penetrarunt.

§. IV.

**S**ed plura probationis momenta praebent nobis Symptomata, calculorum euacuationem in aegra praegressa, quae certo euincunt, eosdem non in Canali alimentorum haesisse, uerum aliunde eo delatos fuisse. Paroxysmi febriles, cum Phantasiis, doloribus capitis et artuum, testantur de imminente inflammatione partis cuiusdam neruosae, ob grauem irritationem generis neruosi, unde spasmi concitati, ac Stranguria dependerunt. Quid uero hoc aliud indicat, quam quod calculi, in angustiis haerentes, ac transitum urgentes, horum omnium causa exstiterint. Secuti sunt porro dolores ac tormina uentris, circa umbilicum, postquam calculi ad intestina tenuia peruenerunt, atque per has uiam suam continuarunt. Tandem dolores isti in Lumbis subsisterunt, quia calculi ibidem, prior in sinistro latere circa flexuram Coli, posterior uero in dextro latere, in transitu per ualuulam magnam, difficultatem istam ac molestiam crearunt, donec tandem, uia hac longiori absoluta, in lucem prodierunt. Ne tamen ullum in animo Lectoris dubi-



um remaneat, calculos saepius memoratos re uera e cistide fellea, per ductum eius ad intestina prodiisse, confirmabo hoc Exemplo plane simili. Praebet hoc nobis calculus, in Gazophylazio Regis nostri Potentissimi asseruatus, insignis magnitudinis, corculique figuram habens, a foemina per aluum excretus, cuius autem quinque focii, post mortem defunctae, in uesica fellea reperti sunt, ita figurati, ut uideri possit, quomodo maiori isti adhaeserint. *uid. Diss. N. de Calcul. in Vesica fellea generat.*

## §. V.

**R**estat, ut paucis adhuc de remediis, ab aegra usurpatis, dispiciamus, ut pateat, qualia in hoc affectu conueniant, et a quibus effectus salutaris sperari possit. Priora, a Medico exhibita medicamenta, qualia fuerint, nos quidem latet, symptomata tamen febrilia suadent, eundem iuxta indicantia nulla alia, quam antifebrilia et antispasmodica, inflammationi resistentia propinasse, Baccae autem Iuniperi et Rob earundem, postea assumpta, pertinent alias inter medicamenta, calculum pellentia. Iuniperina aequae ac alia Carminatiua temperata ad promouendum calculum biliarium, ubi indicium, uel saltem suspicio eius adest, commendari merentur. Commendatur proinde maxime a *Syluio Prax. p. 436.* Spiritus nitri dulcis, qui alias in pellendo calculo renum et uesicae urinae, tanquam optimum carminatiuum, aperitiuum



et diureticum, egregiae est utilitatis. Laudantur tamen etiam ab Auctoribus remedia alia aperitiua, a quibus salutaris effectus in hoc casu sperari potest. Vidimus supra, usu aquarum Pymontanarum, copiam calculorum felleorum, ex uiro Hypochondriaco, per aluum propulsam fuisse. Refert quoque *Hoffmann. in Clau. Schroeder. p. 463.* radicis curcumae, quae alias inter optima aperitiua, antihypochondriaca et anticholerica remedia, locum inuenit, beneficio calculos uesicae felleae euacuatos fuisse. Praeprimis autem *Sylu. loc. cit.* commendat Radicem Graminis tanquam specificum, ideo quod boues et oues, in quibus hyemali tempore, ab esu foeni, in ductu biliario lapidea crusta concresecere dicitur, ubi mense Maio iterum gramine uiridi uescuntur, sensim ab hoc affectu liberari obseruentur. Destituimur quidem nos in hoc propria experientia, uidetur tamen nobis, dictam Radicem non immerito ad hunc affectum commendari, cum ea ob insignem amaritiam atque acridinem, alias inter aperitiua ac Anthelmintica non infimum locum occupet. Sed abstinemus a plurium remediorum enumeratione, quia alias signa calculi uesicae felleae obscura, ac communia sunt cum malo Hypochondriaco atque ictero, adeoque per se patet, quae in his morbis, cum calculo felleo interdum coniunctis, et ab iisdem causis prouenientibus, conducunt, ea quoque contra hunc profutura esse.



## OBSERVATIO IV.

**C**alculus Castorei, ex eodem  
recenti exfectus.

**O**fferebatur Amico, ante tres Annos, a piscatore uenale Castoreum, recenter ex Castore femella annosa, sex pullis praegnante, extractum. Hic duritiem in folliculo percipiens, fraudem, in uenditione Castorei familiarem, suspicatus, antequam illud coemeret, aperuit. Inuenit in eodem calculum fig. II. expressum, tunica propria, in qua cochleare dimidium humoris lactei, odoris fragrantissimi summeque uolatilil, continebatur, inuolutum. Calculus hic exterius crustam lapideam, coloris lutei, politam, hinc inde tamen fissuras habentem, monstrat, interior uero substantia est ipsa medulla castorei, coloris fusci naturalis, sed in lapideam pariter duritiem immutata, ut a percussione cum instrumento ferreo sonitum edat. Longitudo eius est, digiti Geometrici Lipsiensis unius cum semisse, crassities unius digiti, pondus drachmarum duarum, odor ipsius castorei, diuturnitate temporis, quo asseruatus est, nullatenus imminutus.



## §. I.

**C**alculos non tantum in hominum, sed et in brutorum familia, admodum frequentes esse, ac in eorum non solum uesica urinaria, sed et fellea, imo etiam in aliis corporis locis reperiri, experientia docet: Tales in uesica fellea bouum, porcorum, in specie hystricis, ac in uentriculo uaccarum, simiarum, Leonum, Rupicaprarum et Caprarum Indicarum, Pasahr uocatarum reperiuntur, quod ultimum nomen in uocem Bezoar mutatum, lapidis Bezoardici denominationem dedit. Hi, teste *Kaempfer. in Amoenit. Exot. Fascic. II. p. 400.* in capris tantum annosis, ualde macilentis, adeoque morbosis inueniuntur, unde mirum non est, in Castore nostra, concretionem calculi in folliculo, aetatis uitio factam esse, quia tales non nisi rarissimo admodum exemplo obseruantur, uti postea uidebimus, et experientia ipsa testatur. Senectus enim, propter debiles digestiones, ac uitiosas secretiones, quas inter causas calculorum supra retulimus, ad eorum generationem prae aliis prona est. Propterea etiam in ceruis annosis et in hominibus decrepitis, ualuae cordis, ipsiusque aortae tunicae, in ossam ac lapideam substantiam degenerare, obseruantur.



## §. II.

**R**arissime uero contingit, ut in brutis pariter ac Hominibus, in ipsis uisceribus uasculosis atque glandulosis, secretioni humorum puriorum inferuentibus, calculi concrecant. Nihilo tamen secius exempla calculorum, in uisceribus eorum uariis repertorum, apud Auctores occurrunt. Sic apud *Bonet. Med. Septentr. L. VII. Paraleipom. ad Sect. IV. Obs. I.* reperitur obseruatio *Menzelii*, de calculo in cerebro *Damae* inuento, quibus ille in Scholio, calculum ex omento *Rupicaprae* extractum, et a *VVelschio* *diff. de Aegagropyl.* descriptum, aliosque duos, a se ipso inter curiosa asseruatos addit. Pariter in glandulis calculos inuentos esse, docet lapis ex *Atheromate*, quem a *Seuerino* extractum, a *Bartholino* accepit *VVormius*, uti refert *Musei L. I. S. II. C. II. p. 74.* quem ideo lapidem atheromatis uocat. Quanto igitur facilius in glandulis inguinalibus *Castoris*, secretioni massae spissioris atque crassioris destinatis, calculum generari posse, credendum est.

## §. III.

**R**aritas tamen huius obseruationis, facile cuiuspiam dubium excitare posset, utrum calculus iste genuinus sit, nisi simile exemplum a *VVor-*



*mio loc. cit. p. 73. annotatum reperiretur. Cum Hic in aedibus pharmacopaei compositionem Theriacae adornaret, atque inter alia depromeret Castoreum minister, in ipsius substantia et meditullio inuenit lapidem planum, rotundum ferme, quamuis inaequalem, colore luteo, pondere drachmae unius cum semisse, substantiae gypseae, sed a ministro ex improviso fractum. Hunc ille lapidem castoris appellauit, ac quia tales, ipso fatente, nec Ipse, nec ullus ex reliquis Medicis praesentibus obseruarunt, instar rari alicuius inter reliqua asseruandum putauit. Metuens autem, ne pro impostura habeatur, addit ibidem: *Non est, quod existimet quis, ab impostore intrusum, ut pondus auget, quia drachma una et semis saltem erat, quod lucrum ualde parum augere poterat, tum quod non durae, sed gypseae substantiae, et coloris etiam in meditullio, dum fractus erat, eiusdem cum Castoreo.**

## §. IV.

**A**t enim uero hac protestatione haud opus fuisset, si laudato uiro obtigisset, calculum ex recenti Castoreo extrahere, aut extractum accipere. Nostrum quippe Exemplum, quod de reliquo cum illo quoad omnes circumstantias conuenit, extra omnem dubitationis aleam ponit, calculos in Castoreo generari posse, ac generatos reperiri. Etenim  
cal-



calculus noster non tantum propria tunica aut folliculo inclusus, sed liquore etiam lacteo fragrantissimo circumfusus fuit, manifesto documento, ipsum ex materia liquidi huius terrea atque salina generatum esse. Notatu dignus uero est color liquoris istius lacteus, qui a partibus quidem Salino-Sulphureis, in aquosis solutis, alias dependet, uti testantur chylus et lac ipsum, itemque Lac uirginis, ex Tinctura Benzoes, aquae infusa, factum. Sed eundem colorem quoque a partibus limosis atque uiscosis, terreis atque tartareis, in aquosis praecipitatis prouenire, docet urina lactea, in iis, qui calculo uesicae laborant, quandoque obseruata. Atque ita etiam calculus Castorei, ad illustrandam generationem calculi humani, facere potest. Sed tempus est, ut hic pedem figamus, adeoque huic commentationi nunc imposita sit

FINIS.





01 A 6561


Nr. 11 (Teil nicht für  
Erundteile!)



Sb.

1078  
V 17









B.I.G.

Farbkarte #13

10.

DISSSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
 QVA  
 OBSERVATIONES RARISSIMÆ  
**CALCVLORVM**  
 IN CORPORE HVMANO GENERATIONEM  
 ILLVSTRANTES  
 PRAESIDE  
**D. ABRAHAMO VATERO**  
 PROF. PVBL. ANAT. ET BOTAN. SVBSTIT.  
 VT ET SOCIET. IMPER. NAT. CVRIOS.  
 ET REG. BRITANN. SOCIO  
 PRO GRADV DOCTORIS  
 MORE MAIORVM OBTINENDO  
 IN ALMA LEVCOREA  
 D. XIX. IVL. M DCC XXVI.  
 H. L. Q. C.  
 PLACIDAE DISSIDENTIVM DISQVISIONI  
 EXPONVNTVR  
 a  
**CHRISTOPH. ANTONIO ZIEGENHORNIO**  
 MITAV. CVRONO.

Wittenberg

Apud VIDVAM GERDESIAM.

